



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de laudibus & utilitatis magnitudine artis Medicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

ORATIO IN LAUDEM ARTIS
Medicæ, Vuitenbergæ habita.



Error, Viri amplissimi, ne
qui de Medicina dignitate
malè existiment, cū eam sub
inde laudibus ornari, & en-
comijs celebrari à nostri or-
dinis hominibus audiant. *Medicinam re
cte laudari.*
Omnibus enim in ore est, re-

bus per se parum honestis ac pulchris, alieno ora-
natu, & orationis fūco opus esse, quibus commen-
dentur, quando nihil in se habent, quo sibi gratiā
aut decus parent. Sicut fœnimæ inhonestæ ac de-
formes, quia ipse pulchritudine carent, à cerussa
formæ adiumentum petunt, quo se alijs uenditent.
His (si qui sunt) nostri consilij rationem reddē-
dam duxi, ne re aliter atq; est intellecta, & falsa
persuasiōe adducti, de disciplina præclara iniquè
iudicent, aut de honestis factis inhoneste pronuncē-
ant. Nos non prædicamus laudes Medicinæ, ut eī
gratiam & uenustatem conciliemus, quando tātā
eius natia elegantia et innatum est decus, ut nul-
lum non modo lenocinium requirat, sed etiam nec
ulla arte magis exornari possit, quàm natiuo pul-
cherrimo fūco. Sed quo adolescentibus adhuc rerū
imperitis, eius splendorem ac maiestatem ostenda-

T ij mus,

mus, ne ignorent, quantum hæc ars in se boni
 beat, & imprudentes rem singularè præterea
 ut est ea ætas infirmi consilij, & præceptis, neq;
 dicio, sed libidine fertur, sed ei dux, quem admo-
 nentem sequatur, defuerit. Verùm admodum pa-
 cis de re amplissima dicam, quod intelligo mihi
 sermonis copiam, & bene dicendi facultatem
 esse, quam eius artis uirtutes deposcunt, si homi-
 num oculis exhibere uelis. Neq; eo consilio
 prouinciam suscepi, quòd hoc me præstiturum
 fiderem, sed ne in pulcherrimam nostri Gymna-
 sij consuetudinem peccarem, quæ tanti bonis
 est, ut non dubitent difficilia & ardua, & pro-
 sus quæ supra suas uires sunt moliri, modo illa
 seruent. Quare dum publicæ utilitati inscriui
 nor, & piè quidem, licet parum feliciter, me
 so benignè & patienter audite. In disciplinis
 excellentibus illustrium hominum ingenijs
 te sunt, & incredibili grauium uirorum cura,
 industria perfecta & expolita, ea princeps
 gina existimari sine controuersia debet, quæ
 statis splendore, utilitatis magnitudine, iucun-
 tis illecebris, reliquas omnes uincit, tum rebus
 manis imprimis necessaria est, quæ esse medicis
 ut uere, ita & libere pronunciare nihil uere
 quæ honestam rerum naturalium scientiam,

Medicinae di-
 gnitas.

elegantem humanæ naturæ cognitionem com-
 plectitur, eaq; tradit, quibus uel bonam ualitudi-
 nem tuamur, & sustentemus, uel malam corriga-
 mus ac emendemus, ad hæc, quid commodi aut in-
 commodi quæq; res nobis adferant. Quid autē bo-
 no uiro, & excellentis ingenij homini honestius,
 quid melius, quid dignius, quàm uersari in earum
 rerum inquisitione et indagacione, quarum scien-
 tia, & splendoris, et magnificentie plurimum ha-
 bet: sum uerò ac fructum immensum, maximeq;
 naturam rerum omnium parentē attingit? Iamq;
 animus attollere humo, & sublimia petere, &
 æris naturam & cœli uim inspicias, & uigilan-
 tibus oculis in ijs obserues, quæ cura & admira-
 tione digna sunt, quæq; commodi aut detrimenti
 aliquid hominum naturæ portendant, ut possis et
 commoditates ex omnibus decerpere, et damna ca-
 uere. Iam uerò infinitis herbarum generibus con-
 templandis te debere, ibiq; diu morari, et propius
 cognoscere admirabiles illas, & planè diuinas ea-
 rum uirtutes atq; opes, quæ tam uarias, tam præ-
 stantes, tamq; incredibiles sunt, ut nihil profecto
 in ipsa natura sit, aut dignius, quod suspiciamus,
 aut pulchrius quod inuestigemus, aut iucundius
 quod cognoscamus. Videtur enim ipsi naturæ stu-
 dio fuisse, raraq; suæ benignitatis munera, et non

Honestius.

Rerum natura
 lium cogitatio.

T iij medio

mediocrem boni uim, in intimis herbarum medi-
 lis recondere & occultare, quo bonos & alacros
 uiros ad inquirendum acueret, & eorum studia
 & industriam liberalibus præmijs remuneraret.
 Quemadmodū uiri principes, eorum uirtuti que
 in certaminibus præstiterunt, exquisitos honores
 habere solent. Cuius rei locuples testis Hesiodus
 est, antiquæ fidei uates, qui deplorat hominum
 ignorare, quantum boni in malua & albuco re-
 conditum sit. Et Mercurius ille Deorum apparitor,
 Vlyssi moly herbam commonstrans, inquit
 hominibus difficile esse, eam inuenire, Dijs autem
 non item. Hæc igitur procul ab omnium oculis
 in extremis rerum latebris abstrusa perue-
 re, & magnum inde humane societati fructum
 & sibi sapientiam colligere, est præclari &
 gni uiri. Quid uero de gemmarum naturis & uir-
 tutibus dicam, quas uiri Medici singulari ingenii
 acrimonia, & incredibili industria perpenderit
 inuenerunt? quibus tam splendida uis tamque
 comparabilis uirtus inest, ut nihil sit in rebus hu-
 manis, quod cum ijs comparari possit. Et ne locu-
 gior æquo sim, reliquas naturalium rerum per-
 placet silentio præterire, si prius de homine,
 quo tacerephas esse non puto, dixerim, quo
 tura non aliud animal melius aut præstantius
 diuina

Hesiodi quere-
 la.

diuinius conditum est. Ad quem contemplandum,
 Medicina, quæ hoc in cognoscendo accuratior
 & diligentior est, quo quid excellentius et melius,
 omnem ingenij uim, & animi robur conuertit,
 omnes eius partes perlustrat, singula membra se-
 orsim propius intuetur, & acri iudicio exami-
 nat, singulosq; eius angulos perreptat & cogno-
 scit, & in admirabili illa & uiua corporis huma-
 ni compositione, omnia singulatim, ueluti luculen-
 tum & illustre nobilis architecti ædificium per-
 quirat, & inspicit, ibiq; aptè & eleganter disposi-
 ta admiratur, si quæ uitium fecerunt, notat, to-
 tumq; hoc animal adeo perplexum & sinuosum,
 ut non iniuria Momus ei fenestras addendas cen-
 suerit, quo ea quæ intus sunt, cognosci possent,
 lyncæis oculis perspiciat. Si igitur quis, quod pul-
 cherrimum & honestissimum est, semetipsum in-
 tuat & in cute cognoscere cupit, ueluti labyrin-
 thum ingressurus, Medicinam ducem, seu Thesei
 filium, sequeretur, si errore implicari, & à uero
 deduci non uelit, & minimo negotio rem, qua ni-
 hil cognitione splendidius, & inquisitione me-
 lius, & oblectatione suauius consequi. De qua
 quàm honorificè ueteres illi, uerè sancti & sapi-
 entes homines iudicarint, luce clarius est. Home-
 rum enim uates sine dubio rerum humanarum pe-

Medicina con-
 templatur hu-
 mani corporis
 ædificium.

Medicina fi-
 lum Thesei.

Homerus.

T iiij ritissimus,



Medici inter
Deos relati.

Iurisperitiæ
pud inferos iu-
dices.

Mathematici
& philosophi
miseri.

ritissimus, unum Medicum, multis alijs homini-
bus præstare censuit: quod Poëta acerrimi iudici
nunquam dixisset, si non uidisset tantum oportere
tribui tam eleganti rerum nature cognitioni.
Quid quod Homero non tantum uetustiores, sed
etiam grauiiores uiri, Medicis diuinos honores
habuerunt, eosq; beneficentia & studio in nume-
rum Deorum sustulerunt. Quod grauius quidem
illi, & constanter fecerunt (ut eorum ferebat ratio)
iudicabant enim illi hanc sapientiam, non hu-
manam, sed cælestem esse, quæ tam arcanas rerum
uirtutes, in ipsis nature uenis reconditas & ab-
strusas euoluere, et in lucem proferre possent: non
hominis, sed Dei esse, tanta hominibus communibus
adferre. Quare meritò apud eos in diuino honore
erant, à quibus diuina beneficia percipiebant. Eo-
uerò, qui de iure respondebant, plurimum admira-
bantur, & meritò quidem, quis enim tam sanctæ
iusticiæ custodes, non magnificeret? Sed tamen
nemo ullum Iurisperitum cælo dignatus est, uer-
ràm ijs quorum magna & celebris iusticiæ &
æquitatis opinio fuit, hanc prouinciam detul-
erunt, ut apud inferos inter umbras, causas cognos-
cerent. De Mathematicis ueterum iudicium eti-
am fabulis testatum est, qui Prometheus nobilissi-
mus sane Mathematicum Caucaaso alligarunt, ei pro
honestate

honestissima disciplina tradita, sollicitudinē & mi-
 seriam reponētes: Neq; his maior honor Philo-
 sophis habitus. Hinc nimirum palam est, inter hone-
 stissimas disciplinas, principem locum ueteres Me-
 dicinæ dedisse, ut interim taceam Græciam, cum
 omni genere disciplinarum maximè floreret, Hip-
 pocrati eos honores habuisse, quos prius Herculi ^{Hippocratis}
 mōstra tollēti detulerat. Ex quo Medicinæ digni- ^{honores.}
 tas et splendor æstimari debet, cū ea regio, quæ
 sic uiris sapientibus præstabat, sic optimarū rerū
 iudicio pollebat, Medicinā tam exquisitis honori-
 bus exornarit, ut dignitate etiā Herculē minorū
 gentium Deum adæquaret. Et ut honestate, ita et
 utilitate et dulcedine reliquis disciplinis præstat.
 Quemadmodū enim in Platone et Demosthene, et
 eiusdē monetæ bonis scriptoribus, nō tantum ma-
 gna maiestas, et ingens sermonis splendor, sed etiā ^{Vale.}
 pulcherrimus fructus, et insignis utilitas. Sic etiā
 Medicinæ non minus uoluptatis, et bonæ frugis,
 quā dignitatis inest, nisi quis putat aliquid me-
 lius et optabilius esse bona ualetudine, quæ Medi-
 cinæ beneficio cōseruatur, et eiusdē opera labefa-
 ctata curatur: Quæ ex uarijs herbis succos quan-
 titius precij exugit, in ualetudinis subsidiū, sicut a-
 pes ex uarijs floribus materiā colligūt, unde mel-
 iorē sunt, quibus nobis à morbis circumuētis, et op-
 presis

T V

pressis opem ferat, qui nobis à frōte, tergo, lateribus, insidias tēdunt, ut ne Ianus quidem ab his tutus esse queat, si non Medicina adsit, quæ ab omni parte morbos tanquam è specula obseruet, et nos, qui eos effugiamus, moneat, uel ab his oppressos, ceu è mortis faucibus eripiat. Cuius rei testis est grauisissimus ille, nō dicendi modo, sed etiam intelligendi præceptor & magister Cicero, inquit: Valetudo sustētatur noticia sui corporis, et obseruatione earum rerum, quæ res aut prodesse solent, aut obesse. At sola medicina obseruat, quibus nostra natura uehementer oblectetur, & reficitur, quibus uē grauiter ledatur, quare idē autem addit: Valetudinē sustentari arte eorum, quorum ad scientiā hæc pertinent: & tamen sunt, qui hemonentem non audiunt, qui tum demum sua consilia, imò temeritatem cōtemnunt, cum iam aut febri concutiuntur, aut morbo contabescunt. Veluti Athenienses, qui de pace non nisi pullati conplatabant, sicut Demades inquit. Et discunt isti læt magno suo malo, rectè sapere, & res uerè utiles

Necessarium.

nō temere negligendas esse. Medicina uero, si illa res alia, nobis imprimis necessaria est, cuius opera incolumes, et salui uiuimus. Sole, igne, aqua, & aëre deniq; citius carebimus, quàm Medicina. Nō præstat semel mori, & magnis miserijs defungi

Cicero.

quàm in longis morbis, quibus liberari nequeas,
miserum ducere spiritum, atq; infœlicè uiuere ui-
tâ: à quibus multi sic premütur, à Medicinæ auxi-
lio destituti, ut sibi manus adferre non dubitent.

Quare Romani Cæsares uideri possunt intellexis-
se, quàm salutare et necessarij essent boni medici
Rebus sub. qui eis in singulos annos amplissimum
stipendium ducenta et quinquaginta sestertia pen-
debant, sicut Plinius author est, cū tamen reliqua-
rum disciplinarum professoribus, cetera sestertia
modo in annum numerarint. Cuius pecunie si ra-
tionē more nostro iniueris, cōperies Rhetoribus
et Poëtis tria millia aureūm, et trecetos triginta
quatuor numeratos: Medicis uerò octo millia au-
reūm, et amplius trecētis in singulos annos stipen-
dium fuisse: nā illi probè maiestatem et operā me-
dicinæ perspectā habuerunt, et melius & candidi-
us de honestis rebus iudicarunt. Quidam liberali-
bus premijs bonos Medicos honestarunt, tantoq;
illum ordinem honore affecerunt. At nunc eò de-
uentum est, ut ex libidine, nō ex uero iudicemus:
ex gratia, nō ex merito tribuamus: huiusq; paula-
tim deteriora omnia, et in peius delabuntur. Neq;
desunt, quibus nunc medicina sordet, quæ olim ma-
gnis et sapientibus uiris tanti fiebat. Sed quid mi-
rū? Ut enim scarabei preciosi unguēti odore offen-
duntur,

Cæsarum sti-
pendia medicis
data.

Scarabei &
sues, contem-
ptores Medi-
cinæ.

duntur, et sues amaricini fragrantia, sic hi nostri
 scarabei et sues, præclaras et honestas res non ferunt.
 Sed quis istos non contemnat? nisi quis leuic
 et impurum seruum Caryonē apud Aristophanem
 audiendum putat, qui uirum Medicum scatophag
 gon, id est, stercoreis uoratore[m] uocat, cum nemini
 hominum obscurum sit, quod lingua est, ut ille
 inquit, pars pessima serui. Neq; isti ueteratores,
 quibus mala mēs, malus animus est, aliter faciunt,
 à quibus uituperari, laudi ducitur: prudētes uiri
 recte iudicant. Istos etiā contemnendos duco, qui
 ebrij inter pocula eructāt et crepant: Qui medic
 uiuit, miserrime uiuit, uidentes aliquem continen
 tiæ et frugalitatis, quā[m] crapulæ amantiorē. Sed
 quā[m] misere istæ hominum laruæ delirāt, qui ex
 stimant istum miserē uiuere, qui medice uiuit: na
 isti ignorāt, quid mederi, aut Medicina, aut Medi
 cus sit: qui si intelligerent uerba, iuuandi et auxi
 liandi, uim habere, certē aliter iudicarēt. Sed quid
 moramur hos, quibus nemo sanus respondendum
 putat, sed belleborum porrigēdum, ut purgato co
 rebro desināt delirare? Neq; Medicorum ordinem
 fraudi esse debet quorundā temeritas et inscitia,
 qui eius artis titulo se uenditantes, multis fucis fa
 ciunt, quibus si quis titulū detraxerit, idē sanē eis
 accideret, quod Cumano leoni, qui pelle nudatus
 asinus

Medice uiuere.

Zizania medi
 corum.

afinus fiebat. Tales non magis Medicinæ officere debent, quàm honestissimo Theologorum ordini, triobolares isti Theologastri, qui, ceu fœdæ Harpye, et sacra, & sanctissimum Theologici nominis ordinem defœdant, atq; conspurcant. Vt enim inter pulcherrimas segetes, triticum et silignem, zizania & lolium sibi esse uolunt locum, ita & perditū quidā homines in honoratis uirorum ordinibus quoquo modo esse uolunt, qui digni sunt, ut in coruos deportentur, nō quibus cum boni uiri litigent. Vos quibus melior mens, et honestior animus est, qui dignitate, splendore, & maiestate naturalium rerum mouetur, amplectemini Medicinam, qua nihil melius, neq; pulchrius, neq; maius rebus humanis diuinitus contigit: quæ et rei amplificandæ compendiaria uia est, et tantum oblationis subministrat, quantum humanus animus capere potest. Non enim hic, ut in pictura, inanes umbrae, & uanae corporum imagines nos oblectant, sed res solidæ, et uiuum naturæ opus, et incredibile, et uarium eius decus, cum summa uoluptate spectatur: tum facit, ut his bonis floeamus, quibus ut abundare fœlicissimum, ita et carere miserimum est. Quare qui beati, quàm miseri esse malunt, hi putent sibi Medicinam omnibus modis amplexandam. Dixi.

Alia

Vium naturæ
opus medicorū